



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Septembris

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



Septemb. 1.

NATALES

S. Audoëni  
vita, 24.  
Angl. ca 7.

fluniolum Resbacem, vbi sanctus Audoënus cognomento Dado, dum adhuc esset auricularius & referendarius regis Dagoberti, monasterium construxit, quod Ierosolymam dici voluit, cui abbatem præfecit sanctum Agilum, accitum ex almi patris Columbani Luxouienſi monasterio, virum in disciplinis regularibus apprimè eruditum. Cui in Domino obdormienti successit discipulus Philibertus. Hunc Bertinenses inter suos sanctos celebrarunt, vsque ad acceptationem Romani Breuiarij, officio communi, nisi quod octanum responſorium proprium fuerit.

*Virtutum forma, vitæ rectissima norma,*

*Agile dulcis amor, tu pastor sanctus & abbas,*

*Virginitate tua nos ablue, nosq; perorna.*

Cuius facti aliam causam non imaginor, quàm quod Bercinus & Bertinenses sæpius eius consilio & authoritate vsi sint, & eum veluti patrem suum abbatem venerati sint, cum Luxouienſe primarium professionis cœnobiũ lōgius distaret.

Cap. 34.

Huius tamen nulla mentio est in Chronicis Bertinensium Ioanne Iperio auctore, sed mentio ingeritur Agilonis monachi sancti Apri Toletani: (Pro quo legendum suspicor Tullani. Aper enim Tullensis fuit episcopus.) Is autem vicarius fuit sancti Gerardi in regimine monasterij sancti Bertini, non tamen sub nomine abbatis.

Dominica prima SEPTEMBRIS.

*De supplicatione ciuitatis Louaniensis.*

*Ex archiuis Louaniensium, ac aliunde.*

**L**Ouanij in Basilica sancti Petri, solennitas recollectionis festorum beatissimæ Virginis Dei



Dei genitricis Mariæ, quæ cum totius ciuitatis lætitia festiuè celebratur\*. Hæc enim ciuitas initio mensis Septembris tria consecuta est à Deo maxima beneficia, vt non abs re tunc cum gratiarum actione lætissimam celebret supplicationem. Immo rectius dixerò, totum Belgium Louanij tria maxima à Deo beneficia obtinuisse. Sic Romæ enim ea Louaniensibus sunt collata, vt etiam ad reliquos Belgas resulent. Quare non vnus vrbs, sed totius Belgij commune & multiplex beneficium prætereundum non est, excusum cum etiam ad id patrios nostros Sanctos cooperatos esse non ambigamus. Primum est, victoria contra Nordmannos. Ii cum Franciam & Lotharingiam potentissima regna summa barbarie deuastarent, Louanium anno octingentesimo octuagesimo secundo non solum occuparunt, omnesque eius ecclesias concremarunt, sed præterea annis circiter decem ( vt vrbs testantur archiua ) latrociniorum suorum atque sacrilegiorum speluncam habuerunt. Nordmanni, inquit Regino, in regnum Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur *Louen*, castra metati sunt, in confinio eiusdem regni, & continuis infestationibus vtraque regna, ( Franciam scilicet & Lotharingiam ) fatigant. Ad quorum malitiam compescendam semel & iterum imperator Carolus Crassus exercitum misit: sed nihil dignum aduersus tantam violentorum rapacitatem actum est. Tandem cum omnia deuastarent, Arnulphus Imperator, inita pace cum rege Bohemiarum, descendit ex Bauaria, cum omnibus Imperij Germaniarum & Franciarum viribus. Nordmanni verò, cum acies cernerent appropinquare, sese Louanium retraxerunt, & ad fluuium Tiliam ( quem nunc molliori pronuntiatione Diliam dicimus ) ligno & terræ congerie, more solito, se communierunt, & superioribus victorijs elati, cum insultatione, cachinnis, & exprobrationibus agmina lacesserunt. Vnde Arnulphus felle commotus, exercitum iussit descendere, & Deo, ait Regino, vires cælitus administrante, eos vsque ad internecionem deleuit. Referunt autem iam dictus Regino Prumiensis, & Sigebertus Gemblacensis, nostrates historici, ex innumerabili multitudine vix vnum superuisse, qui ad classem aduersum nuncium ferret. Addit Vuolfgangus Lazius, Arnulphum victoria hac potitum esse Calendis Septembris, ipsumque sedecim signa quæ hostibus ademerat, in Bauariam transmisisse. Pulchrè de hac

\* Adhibetur officium

nouum, probatum:

Louanij an. xciv.

apud Io. Masium.

*Regino in Chronicis.*

*Lib. 3. de gentium migrationibus.*



Septemb. 7.

NATALES

*In hist. Sla-* hac victoria Helmoldus presbyter Lubecensis ante qua-  
*uorum c. 7* dringentos annos scriptum reliquit. Bellum coelitus admi-  
nistratum est: siquidem centum millibus paganorum pro-  
stratis in bello, vix vnus de Christianis cecidisse repertus  
est. Et ita extincta est persecutio Nordmannorum, Domi-  
no vindicante sanguinem seruorum suorum, qui iam per  
annos septuaginta effusus est. Sed & archiua Louaniensis  
ciuitatis festiuissimam & celeberrimam suam supplicatio-  
nem, quæ annua est mense Septembri, ad perpetuam huius  
victoriae memoriam referunt.

Postea autem crescentibus beneficijs, accreuit etiam  
gaudiorum materies. Secundum enim huius vrbs totius  
Belgij beneficium est Vniuersitatis erectio, anno supra  
millesimum quadringentesimo vigesimo sexto. Sicut enim  
Dei misericordia, dum fides quibusdam locis perit, alibi  
eam plantat: & contra nouorum errorum ministros, zelo-  
sos facit veritatis protectores & propagatores, sic etiam  
Vuiclesijs Vniuersitates damnantibus, & Hussitis cum fi-  
de Vniuersitatem Pragensem perdentibus, Deus zelo in-  
duit Ioannem Brabantiae Ducem, vt ad defensionem fidei,  
& promotionem pietatis, studiorum scholam alibi per-  
euntem in suo Belgio erigeret. Quæ, laus Deo, in tantum  
excreuit, vt à toto orbe Christiano habeatur propugnacu-  
lum hæreticorum. Passim enim tam multos habet fideles  
Domini operarios, vt Catholici Belgæ, Louanio non du-  
bitent ascribere suam salutem. Fortassis etiam singularis  
Dei dispositio studiorum Vniuersitatem Louaniensibus  
dedit, quia quinto anno ante eam conditam, cruce signati  
contra Pragenses hæreticos ad bellum iuerant, centum &  
sexaginta, nec non sexaginta equites.

Tertium beneficium percepimus anno septuagesimo  
secundo. <sup>b</sup> Obsessa est vrbs tertia die Septembris à barbaro  
exercitu, qui multorum hominum millibus, & tormento-  
rum apparatu longè superabat exercitum <sup>c</sup> Rossemianum,  
Spumabant illi internecionem sacerdotij, cleri, & om-  
nium catholicorum. Vbique eructabant extinguendum  
esse nidum passorum. Madebant illis manus ex recenti san-  
guine sacerdotum & monachorum Ruræmondensium.  
Cumque iam tertio in nos irruissent, & in eorum faucibus  
veluti essemus, tunc demum de paciscendo summa cum  
prudencia actum est. Mirum est frangi potuisse animum  
hostis, qui obstinatè conceperat Scholam Louaniensem  
docere



docere ( quod tamen falsum est ) fidem hæreticis datam  
seruandam non esse, quique multorum cæde erat irritatus,  
& nos omniaque nostra in sua potestate esse videbat. Mi-  
rabilius est barbaros illos latrones, qui ducum & princi-  
pum legibus constringi volebant, cum iam in urbem irue-  
rent, ab irruptione eius retrahi potuisse, cuius & sangui-  
nem sitiebant, & bonis omnibus, vt prædæ suæ inhiabant.  
Sed vtrumque à Domino factum est, qui in chamis & fre-  
nis maxillas peccatorum constringit, & hominum iris at-  
que furoribus terminos ponit, quos transgredi non pos-  
sunt. Denique mirum est Vniuersitatem hæreticorum om-  
nium phanatico odio expositam, præsidio caruisse huma-  
no. Sed dixissent principes, & filij hominum, in quibus  
non est salus, Nostra est Louanientium conseruatio. Ver-  
bum hoc suauissima Dei dispositio sibi reseruari voluit, Qui  
etiam post solutam obsidionem à magnis periculis nos  
protexit, quæ ingruere videbantur. Itaque diuinæ clemen-  
tiæ, & Deiparæ virgini ( huius festiuitas imminebat, ) ac  
reliquis nostrarum ditiorum patronis debet Belgium,  
quod non perdidit suam almam Vniuersitatem, semina-  
rium pastorum & doctorum ecclesiæ, sacrorum ordinum  
florem & thesaurum irreparabilem, domicilium literarum,  
matrem omnis pietatis, eruditionis, & prudentiæ. Cuius  
sepultura, Belgij vniuersi excidium portendisset.

Psalm. 37.

Psalm. 145.

a. *Ad annum Domini 891.*

b. *Post millesimum quingentesimum.*

c. *Qui anno 1542. Louanium obsedit, in princ.  
Augusti.*

Die secunda, si placet, Septembris.

*De venerabili Margaretula Louanienti.*

*Ex Casarij dialogis, monumentis tumbe, &  
aliunde.*

**C**aret etiam Louanij memoria venerabilis  
Margaretulæ, quæ anno Domini millesi-  
mo ducentesimo vigesimo quinto passa memo-  
ratur.



ratur. Quo tempore dialogos suos scripsit Cæsarius monachus Heisterbacensis, qui dialogo sexto Margaretulam nostram sequentibus ferè verbis celebravit. Cuius quidam Louaniensis, cum vxore sua rebus ordinatis, ad Villarium nostri ordinis domum se transferre disposuerat. Erant ambo religiosi, & religiosorum susceptores deuoti. Habebant secum puellam adultam, cognatam suam, quæ loco ancillæ ipsis & hospitibus, simpliciter ac diligenter ministrabat. Scientes maligni quidam pecuniam illos habere collectam, eadem nocte qua mane erant profecturi, circiter octo, domum quasi cum eis hospitaturi, ingressi, dictam puellam pro vino miserunt, & reliquam familiam occiderunt, & sublatis omnibus, puellam cum vino reuersam, secum ad domum quandam à ciuitate semotam eduxerunt. Vbi cum tristis sederet, & domestici vi raptam existimarent, abducta est ad fluuium. Vnus autem latronum dixit, Sinite eam viuere, & ducam illam in vxorem: sed cæteri non consenserunt, metuentes per eam prodi. Quare vnus portioni, vt eam occideret, decem marchas addiderunt. Qui, prius desecto guttore, cultrum lateri moribunde infixit, sicque hostiam Deo viuentem, in fluuium proiecit. Addit Cæsarius latrones quæritos, & non inuentos esse. Corpus autem puellæ à piscatoribus post aliquot dies inuentum, non tamen proditum, nè eis crimen impingeretur, in littore sepultum esse: ybi nocturno tempore per luminaria reuelatum est, & Louanij delatum, Capellaque supra eam ædificata, in qua, eius meritis exigentibus, diuersa fiunt miracula.

Ab hac autem narratione Cæsarij, qui fortassis in



lis in *Heisterbach* constitutus, non tam exactè omnia cognouit, discrepant nonnihil picturæ & scripturæ ædiculæ in qua corpusculum asseruatur. In illis enim legitur, postquam virginitatem Deo vouerat, vim perpeffa. Quod tamen ad eius ignominiam cedere non potest. Pulchrè enim Lucia Paschasio respondit, *si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Ibidem refertur nunquam sepulta fuisse, sed corpus in aquas deiectum, à piscibus super aquas detentum esse, & contra fluxum Louanium redijse: angelos quoque in nocte lucida in cælis cantasse. Quæ Brabantia Dux cum coniuge considerantes, in pinnaculo arcis constituti, particulatim inquiri curarunt, & re omni cognita, Clerus & Senatores corpus processionaliter tulerunt ad murum ecclesiæ sancti Petri: vbi adhuc conspicitur in domuncula quæ solet esse lignea, nunc verò est lapidea. Cùm autem lapidea construeretur, corpus intra ecclesiam erat. Sed ea constructa, pridie Dedicacionis Louaniensis, à Ruardo Decano, & omni clero ecclesiæ referebatur ad veterem locum.

In monumentis ecclesiæ, quæ sæpius combusta est, nihil de ea superest, sed vulgo persuasissimum est, in prima corporis allatione superuenisse mulierem cum pulmento ad colonos suos abeuntem, quæ cùm narrata non crederet, dixit ea vera esse sicut poculum istud, quod colonis meis defero, feruet. Quod mox fertur feruisse, & per sumentium manus nunquam euacuatam esse. Reorum attamen progeniem nihil inde capere potuisse. Vnde postea vnus eorum fece sua poculum maculans, beneficium priorum annorum



Septemb. 3.

NATALES

posteritati sustulisse fertur. Dolendum est autem rem tam memorabilem illustri carere testimonio.

Alterum vasculum, quod ligneum est, in quo vinum ferebat, ab Absolonibus, qui eam dicunt maiorum suorum ancillam fuisse, religiosè, argento exornatum, conseruatur. Qui etiam illud ex Bruxella mittunt ad septennalem reliquiarum exhibitionem. Louanij cum corpusculo conseruatur etiam pila, quæ ei contra clamores fuit in os iniecta. Domus quam inhabitabat, dicebatur hospitium sancti Georgij, in qua cubiculum paruum ab ea nomen retinet. Dies martyrij ignoratur, ad quem tamen inueniendum nomen Aman-di hospitis sui quæsiuit, sed non inueni, inter obitus ecclesiæ Louaniensis & monasterij Villariensis, quod ab eo se bona habere agnoscit. Pertinet autem ad populares fabulas, ideo canonizatam non esse, quia de occisoribus eius sumtum est supplicium.

1718

Quamquam hæc vulgaris opinio non careat suo fundamento, cum Augustinus scribat Marcelino tribuno, *De clementia Imperatoris impetrare curabimus, ne passionis seruorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriosa, inimicorum sanguine dehonestentur.* Exstat denique de venerabili Margaretula cantilena, Antuerpiæ anno quadragesimo octauo excusa, in libro profanarum cantionum, sed lasciuia, & flammis digna.

Tertia die Septembris.

*De sancto Remaco, episcopo Leodiensi.*

*Ex libris Nodgeri, & chronico Hirsfeldensium.*

**I**N monasterio Stabuleto, depositio S. R E M A C L I, episcopi & confessoris. Hic patriam habuit



habuit Aquitaniam, parentes Albutium & Matrimam, opibus & generis nobilitate pollentes: qui eum educarunt sub beato Sulpicio, episcopo Bituricensi: in cuius honorem constat ab eodem sancto viro permultas ecclesias in Leodiensi diocesi esse dedicatas. Vbi autem adoleuit, B. Eligio est commendatus, qui eum in Solenniensi monasterio, monasticæ & disciplinæ institutionibus exactè imbuit, & cùm ad palatium regis redire cogeretur, commissi gregis curam in eum transtulit. Tantùm verò sancti Remacii sanctitas sese dispersit, vt post beatum Amandum à clero & Aula proceribus ad episcopatum Traiectensem sit coactus. Discipulorum complurium pater fuit, & institutor. Inter quos Theodardus & Lambertus, post eum episcopi & martyres Christi: item sancti presbyteri Adelinus & Trudo. Sigebertum regem hortatus est, vt intra fines Arduennæ duo conderet monasteria, in quibus pro regni stabilitate & tranquillitate viri religiosi Dominum deprecarentur. Ea autem sunt Stabuletum & Malmundarium. Et vtrumque Grimoaldus Maior domus, sancto Remaclo gubernandum commisit. Vnde ipse captandæ solitudinis occasionem adeptus, sanctum Theodardum sibi in cathedra surrogari obtinuit. Stabuleti autem dum claret, religiosi viri ad eum, ceu apes ad aluearium, vndique confluxerunt. Crescente autem religione, creuit etiam ecclesiæ proventus, ex liberalitate Sigeberti, Pipini, & aliorum principum. Iam verò moribus quàm annis maturior, modica febricitate correptus, reddidit Deo animam suam tertio Nonas Septembris. Quo die natalem celebrat Leodiensis ecclesia. Stabulenses etiam tran-



Septemb. 4.

NATALES

lationem septimo Calendas Iulij, & commemorationem septimo Iduum Maij. Porrò duæ sunt, quas diximus, sancti Remacli abbatia, Stabule-  
tum, & Malmundarium, quarum posteriorem Henricus rex Coloniësi episcopo dederat. Cum-  
que rex nulla fratrum repetentium eam impor-  
tunitate moueretur, diuina, vt fertur, reuelatio-  
ne, Leodium ossa beati Remacli tulerunt, & in  
celebri conuiuio super mensam posuerunt, obse-  
crantes vt si minus filiorum, saltem patris mise-  
reatur, de iniurijs suis quotidie ad tribunal æterni  
iudicis proclamationem facientis. Rex primùm  
iratus, punitionem facti meditabatur, sed attoni-  
tus miraculorum multitudine, quæ subsequen-  
tur, non solum ablata restituit, sed etiam regia  
dona adiecit. Scribit id in Hirsfeldensi Chronico  
Lambertus Scafnaburgensis. Cui autem ista non  
sufficiunt, is reuoluat tres libros Nodgeri episco-  
pi Leodiensis, quos scripsit de vita & miraculis  
sancti antistitis.

An. 1071.

Nodge. 10.  
s. Surg.

Die quarta Septembris.

*Memoria beatæ Irmgardis.*

*Ex Vita Latinè impressa.*

**C**Oloniæ, in maiori ecclesia, Irmgardis vir-  
ginis, in cuius præfesto ibidem campanæ  
pullantur, sicut in præfestis Sanctorum, licet non  
sit canonizata.

In vita Latinè impressa, quæ corpus eius visitantibus ex-  
hibetur, asseritur filia Comitis Zutphaniensis, quæ orba a  
patre, castrum *Brochspeel* & oppidum *Reis*, hæres possedit,  
eaque moriens legauit sancto Petro Coloniæ.

Conuentui vero sancti Pantaleonis, in quo frater abbas  
erat,



erat, legavit forestum *Suichtelem*, cum suis pertinentijs, quod statim post mortem patris, bonis operibus dedita, inhabitavit. Ter profecta est Romam, & in secunda profectio ad summum pontificem tulit in chirotheca terram ex coemeterio vndecim millium virginum: à quo Coloniā retulit caput sancti Siluestri.

Constituit præterea & dotavit hospitale, in *Hachtortijs* nominatum: vbi deuotissimè & pauperibus seruiuit, & diem suum obiit. Post transitum sepulta est apud tres Reges. Vbi quotidie corpus eius omnibus videndum patet, in sacello sancti Bernardi, de monte Iouis.

## Die quinta Septembris.

### De sancto Bertino abbate.

*Ex Martyrologio D. Bertini.*

**I**N pago Ternānensi, monasterio dicto *Sithiu*, depositio almi patris nostri sancti Bertini, abbatis & confessoris. Qui vita & miraculis insignis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo octaua migravit ad Dominum. Vbi dum dies Caniculares finem faciunt, sicut venerabilis Gregorius Turonensis episcopus scribit, fine vltimi diei mutati sunt viri sancti inuicti labores, quoniam dum terminus vitæ diem clausit vltimum, in regeneratione viua diem accepit perpetuum, Iesum Christum Dominum nostrum. Hic patria Constantiensis, cum Mommoleno & Bertrammo, ex Luxouienſi cœnobio egressus est, ad Trinitatis fidem prædicandam. Qui tres à beato Audomaro suscepti, officium legationis suæ labore continuæ prædicationis subibant. Inter quos sanctus Bertinus, plenus ætate & Spiritu sancto obiit, sepultus in *Sithiu* monasterio, quod ipse construxerat, sumptibus potissimum viri nobilis

*Locus non extat in Greg excuſis libris. Nec verum esse potest cum mors S. Bertini sit annis centis Gregorio posterior.*



Septemb. 5.

N A T A L E S

bilis Adroaldi: in quo annis quinquaginta octo habitauit, cum multis religiosis. Natalis eius celebratur quinto Septembris: Audomari autem nono huius mensis. Quo loco de sancto Bertino & Bertinensis monasterij dignitate, plura leguntur ex Folckardo Bertinensi, qui vitam vtriusque, tempore Leonis Papæ noni, & Bononis abbatis, descripsit, & ex Ioannis Iperij Chronicis. Quare hic tantum subiiciemus reliqua Martyrologij verba. Quæ sunt, Sexto Nonas Maij, Monasterio *Suhiu*, gloriosa eleuatio corporis pretiosissimi confessoris Christi Bertini, anno Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo secundo. Decimo septimo Calendas Augusti, Sancti patris nostri Bertini corpus, à beato Folquino transferretur & reconditur, anno octingentesimo quadragesimo sexto. Decimo sexto Calendas Iulij, monasterio *Suhiu* inuentio pretiosissimi corporis sancti Bertini, quod repertum est sub capitaneo altaris sancti Martini, vbi olim à beato Folquino translatum & reconditum fuerat, anno octingentesimo quadragesimo sexto. Iacuit autem ducentis & sex ferè annis, cum primitus in sepulcro suo quieuisset centum & quadraginta nouem annis.

Fortassis autem pro (*capitaneo altaris*) legendum est *capitaneo altari*. In chronicis enim Bertinensibus capite trigesimo nono, habetur, iuxta capitaneam Crucem.<sup>2</sup>

a. Et Chronici Camerac. lib. 3. c. 38. Capitaneum monasterium.

Septima



## Septima Septembris.

1<sup>o</sup>. De sancta Madelberta, virgine Malbodiensi.

*Ex officio Malbodiensis & Leodiensis ecclesiarum.*

**M**Albodio monasterio, natalis S. MADELBERTÆ virginis: quæ in prædicto monasterio tertia, sanctè præfuit annis nouem. Prima enim fuit matertera eius sancta Aldegundis, loci fundatrix. Secunda, soror eius beata Alde-trudis. Cui ipsa successit. Habet nouem lectiones Malbodij, vbi præfuit: & Leodij, vbi translata quiescit.

2<sup>o</sup>. Obitus Iacobi Auesnensis.

*Ex Guilhelmo Neubrigensi lib. 4. cap. 21.  
rerum Anglicarum.*

**A**Nno gratiæ millesimo centesimo nonagesimo primo apud Assur, nobilium Turcorum strages, tanta quantà ab annis retro quadraginta, vt fertur, vno die Saladinus expertus non fuerat. De nostris verò occubuit Iacobus de Auenijs, vir planè optimus, & meritis præcellentibus, vniuerso exercitui Christiano charissimus, qui eiusdem exercitus præclara per annos aliquot columna extiterat, atque in proposito piè suscepto, syncerè ac strenuè perseuerans, nec leuem vnquam maculam dederat in gloriam suam. Cuius profectò laudabili deuotioni diuino munere retributum est, vt Omnipotentis Dei obsequio gloriose occumberet, & mediante discrimine breui temporalem felicitatem, vt pium est credere, æternâ mutaret. Denique luxit vehementer cum omni exercitu Rex Anglorum, assumptum tanquam emeritum à Rege Angelorum. Hæc Guilhelmus Neubrigensis.

Ioannes Iperius abbas, notat eum vni Macha-



Septemb. 8.

NATALES

bæorum comparandum Iacobus Meierus scribit, cum Richardus rex Anglorum ad recuperandam ciuitatem sanctam exercitum duceret, eum cum Hannonijs suis, Flandris, & Brabantis, in postrema acie Saladini hostis impetum egregie sustinuisse, suaque morte victoriam emisse, ingenti edita barbarorum cæde.

### Octaua Septembris.

*De translatis sancti Adriani reliquijs.*

*Ex libris & informatione Gerardi-Montensium.*

**N**icomediæ, natalis sancti Adriani martyris, qui post multa supplicia, martyrium crucifragio consummauit, sub Diocletiano Augusto. Huius martyris reliquiæ, vt multorum synteritas attestatur, allatæ sunt trans-montanis partibus in villam <sup>a</sup> *Rauli-court*, Gerald-montensibus vicinam. Quæ ob merita & beneficia martyris, amplissimis est terminis dilatata, & ibidem ecclesia præbendarijs inuestita Canonicis. Sed cum peccatis hominum exigentibus, villæ & oppida destruerentur, ecclesiæ etiam prophana temeritate spoliarentur, Rotnacensis ecclesia suo sancto Hermete est priuata, diuina autem clementia sancto Adriano tutissimum receptaculum prouidit. Unde tandem furto ereptus est à quodam Eubaldo presbytero. Qui patronum venalem fecit in Gerald-monte viginti quatuor marcis. Cum autem monasterium & populus ad tantum pretium expauescerent, cum thesauro Bruxellam recessit. Vnus ex plebe Theodoricus, dicebat se libentius crassam vaccam emturum, quàm ossa arida. Qui paulo



paulo post obiit, & indecenter inter ecclesiam humatus est: sed rugientibus, vt creditur, dæmonibus, cadauer abiectum est. Interea abiens Bruxellam Eubaldus, in via est in visu hebetatus, vnde ad montem monasterio contiguum redijt, & ex varijs signis didicit Dei voluntate corpus sacrum ibi permanurum. Regreditur proinde ad villam, & conuentione facta, duodecim marcas à populo & quatuor bonaria terræ, sub annali censu duodecim nummorum ab ecclesia possidenda recepit. Cùm autem abbas Seuelardus & vniuersus populus exoptarent veras declarari à Deo reliquias, idipsum multipliciter sunt consecuti. Et hoc ordine gloriosus martyr monasterij patronatum obtinuit, intra Geraldimontem. Qui est Flandriæ Imperialis ciuitas, diœcesis Mechliniensis; in qua est item dicta abbatia ordinis sancti Benedicti, valde celebris, propter præsentiam & beneficia tanti martyris. Ad eius enim memoriam frequens est populorum concursus: imo ob illustria martyris beneficia, multi vrbeni non aliter nominant, quàm Ad sanctum Adrianum in Flandria. Secundaria festa annuè proclamantur. Sexto Calendas Iunij, aduentus sancti Adriani martyris ad nos anno millesimo centesimo decimo: & quarto nonas Martij, eleuatio corporis beati Adriani martyris. Ex his allatio celebrari solet per totam ciuitatem; eleuatio verò per Decanatum. Historia martyrij exstat ad octauum diem Septembris, breuiter in Horis Romanis; fuisse apud Surium.

a. Vide Meyer. an. 1110.

Dic



Die nona Septembris.

De S. Audomaro, primo episc. Morinorū.

Ex Folchardo, & Iperis.

**I**N pago Teruānensi, depositio beati A V D O M A R I, episcopi & confessoris; qui obiit anno Verbi incarnati sexcentesimo nonagesimo quinto. Erat natione Germanus, non longè à Constantia natus, sed in Luxouio Burgundiæ monasterio, sub abbate sancto Eustathio magna vixit sanctimonia; monachus eum Friulfo patre, & cum alijs nobilium filijs factus. Impulsu autem Francorum regis & episcopi Nouiomensis, datus est Morinis episcopus: quos prius per Victoricum & Fuscianum conuersos, sed magna ex parte relapsos in veterem idololatriam, maximis laboribus ad veram reduxit pietatem. Interfuit autem senio confectus translationi sancti Vedasti, & in ea fertur receptum corruptibile lucis munus, reimpetrata cæcitate vitasse. Obiit autem in villa Warantisuæ diœcesis, & à reuerendissimo abbate Bertino sepultus est in monasterio siue ecclesia beatæ Mariæ, in *suhii*. Qui locus olim erat lutosus portus, nunc verò est celebre & bilingue Artesiæ oppidum, quod hæres est nominis sancti Audomari, & imaginis ipsius in sigillo negotiorum: Flandricè, *Sint Omeer*. Natalem habet ab Vsuardo notatum die nona Septembris. Legitur etiam duodecimo Calendas Nouembris, inuentio sancti Audomari episcopi Morinensis Et sexto Idus Iunij, Monasterio *suhii*, relatio siue translatio sancti Audomari episcopi, quando sanctus Folqui-



Folquinus corpus eius fugato Hugone abbate à *Lesboursch* retulit, anno octingentesimo quadragésimo tertio, & in *Sithiu* iuxta corpus beati Bertini, sub terra recondidit, vbi per multos annos homines quidem latuit, at reuelatus est vbi Dominus voluit.

Sed vt breuiter subijciam statum ecclesiæ Audomarenfis, Ibi fidem primum prædicarunt Romani viri Fuscianus & Victoricus. Verùm ijs sub *Rictiouaro* martyrio coronatis, populus gradatim redijt ad vomitum, & ad pristinos idololatriæ errores; donec pius pater misericordiarum ex *Luxouio* dedit sanctum Audomarum episcopum, per quem iterum Morinorum siue *Teruânensium* regioni occidua Euangelium resplenduit. Paulo post accesserunt ex dicto *Luxouienfi* monasterio *Mommolenus*, *Bertramus*, & in primis *Bertinus*, qui patriæ & sanguinis vinculo beato Audomaro coniunctus erat. Quos mox sanctus episcopus suos statuit in prædicatione confortes. Eodemque antistite agente *Adroaldus*, vir præpotens, villam suam *Sithiu* cum appendicibus Deo & beato Petro, in vsum monasterij obtulit. Vnde tres prædicti viri inibi ecclesiam construxerunt, anno sexcentesimo vigésimo sexto: & cellam in loco qui ob id Veteris monasterij nomen retinet. Cùm verò locus ille permodicus esset, & monasticæ quieti minus commodus, miraculo psalmodiæ in nauicula existentes diuinitus alium locum acceperunt ad *Agnionem* fluium. Cui cœnobio sacerdos Dei Audomarus *Mummolinum* præfecit: eoque in episcopum assumpto, pastorem cœnobij curam *B. Bertino* demandauit. Qui in eo loco centum quin-

qua-



quaginta monachos, breui tempore adunauit. Cumque in loco paludoso situm & sepulturæ inidoneum esset, beatus Bertinus in vertice montis aliam basilicam beatæ Mariæ construxit, cum cœmeterio: & ordinauit vt aliquot monachi inibi Deo seruirent. Interim proprium monasterium fic leuauit, vt ipse in eo primus sepulturam acceperit.

Ex hoc autem deriuata sunt alia monasteria quatuordecim, & Ioannes Iperius abbas Bertinensis scribit, ecclesiam Dei solennizare viginti duos sui monasterij monachos. Inter quos celebriores sunt Bertinus, Mommolenus, Ebertramus Erkenbodo, Humfridus, Winocus, Walbertus, alter Bertinus, Fulco, Grimbaldus, Gerardus, Iosepho, & Bernardus pœnitens.

Hoc præterea monasterium excepit, & aliquot diebus refocillauit, tres sanctos Cantuariæ archiepiscopos, qui propter defensionem ecclesiasticæ libertatis Anglia exire cogebantur. Primò, Dunstanum, de quo suo loco dictum est: secundò beatorum Anselmum, qui ibidem sacri chrismatis vntione innumeram multitudinem confirmauit: & tertio sanctum Thomam: Qui gloriosus martyr, per Grauelingas & Claromariscum venit ad Vetus monasterium, & cum inde nauigaret ad sanctum Bertinum, insigni miraculo piscis grandis, quem bremam vocant, cum impetu se in sinum sancti viri proiecit, quem eodem die conuentui propinauit.

Quod verò ad diuitias attinet, vidit S. Bertinus priuilegia & possessiones sui monasterij sic ampliari, vt regalibus monasterijs æquaretur. Sed ob eadem, loci facies multum fuit aliquando im-

*Edmerus  
lib. 2. vita*

*Chron. cap.  
44. Vita S.  
Thoma, lib.  
2. cap. 5.  
Brema, gal-  
licè brejme*



do immutata. Siquidem regali donatione aliqui non monachi, Abbates præfuerunt, quorum primus Fridogisus, Cancellarius Imperialis palatij, inter abbates vndecimus. Qui ex monasterio S. Audomari dimisit quadraginta monachos, & proijs instituit triginta Canonicos, cum quibus, quia sæcularis erat, viuere præelegit. Eisque & sibi quæ maximè placebant ex bonis monasterij asseruabat. Vnde sub abbate successore vnus ex monachis Bertinensibus institutus est Custos Canonorum. Quod officium postea conuersum est in dignitatem Præposituræ. Fuit autem decimus octauus abbas beatus Fulco, qui post secundam monasterij per Danos exustionem, villam *Sithis* cœpit murorū ambitu firmare. Qui cùm in Rhemenfi archiepiscopatu Hinemaro succederet, successorem habuit in abbacia Rodulphum. Eo autem mortuo, Caroli simplicis donatione locum occupare voluit Balduinus Caluus, Flandriæ Comes, laicus & miles. Sed monasterium, vt id impediret, reassumit beatum Fulconem, & pro eius concordie electione contra Balduini conatus, per sanctum Grimaldum Caroli consensum obtinuit. Cùm autem octo ferè annis abbatiā nobilissimè rexisset, iterum Balduinus sollicitauit pro ea apud Carolum, & per Winemarum militem, apud sanctum Fulconem. Sed Winemarus sentiens virum Dei contra ecclesiæ & religionis statum flecti non posse, cum ira recessit, & positus in via Rhemenfi insidijs, beatum præfulem lanceis transfodit. Hac via, regia accedente donatione, Balduinus abbatiā inuasit, anno nongentesimo primo. Cui filij eius successerunt, Adolphus Boloniensis Comes, & Arnulphus Comes Flandrensis. Hi



Hi autem sub nomine Comitum ecclesiam administrarunt, eam quasi hæreditate possidere volentes. Vnde monasterio cum pietate multa bona perierunt. Nam inter alia ipsum oppidum, cuius munitionem sanctus Fulco inceperat, Flandriæ Comites sibi ascripserunt, eo quod Balduinus munitionem illam perfecerat. Cæterum Arnulphus regiminis anno vndecimo, corde compunctus, cum videret sub se, fratre & patre collapsam esse religionem, à Witfrido Morinorum episcopo ordinari postulauit sanctum Gerardum natione Namurcensem, celeberrimum huius & aliorum cœnobiõrum reformatorem. Neque ab eo tempore puto vllam memorabilem mutationem factam esse apud Audomareses, nisi quod superioribus annis destructa Sedes Teruânensis, translata sit, partim Bononiam, partim Ipras, & partim ad sancti Audomari oppidum. Sicque ecclesia quæ primitus fuit monachorum, deinde Canoniorum, nunc est cathedralis. Eiusque episcopo in dotem assignata est præpositura, cum abbatia quadam eiusdem diocesis.

### Decima die Septembris.

1<sup>o</sup>. De sancto Theodardo episc. & mart.

*Ex historia martyris, auctore sigeberto.*

**L**Egiæ, in basilica sancti Lamberti, natalis sancti THEODARDI episcopi & martyris. Hic in diocesis regimine successit sancto Remaclo, qui propter attritos fructuum prouentus, portum solitariae vitæ legerat. Cumque multa per Dei gratiam, & suam industriam restauraret, hoc  
eum



cum acrius mordebat, quod ecclesiæ suæ possessiones magna quantitate essent, circiter per annos triginta mutilatæ. Deliberabat autem apud Hildericum regem Austrasiæ super iniurijs illatis ecclesiæ, legaliter expostulare Sed filij Belial iniuriæ conscij, & nolentes coram palatinis causam agi, eum in Alsatiam vsque insequuntur, & intra terminos diocesis Vuormatiensis caput eius sacro oleo perunctum, in frustra secant, corpusque membratim dilaniant. Statimque in testimonium sanctitatis, euidentia signa subsequuntur. Eius corpus suo quasi iure postulauit discipulus & successor martyr Lambertus, tandemque obtinuit, & in Legia villa publica, quæ nunc est Leodium, tumulauit, cum honore qui martyrem decebat. Passus est anno Domini sexcentesimo quinquagesimo octauo, iuxta Sigebertum, administrationis secundo, eleuatus in capsam Leodij in primaria ecclesiâ. Plenam autem historiam habet Surius, cuius stylum se meliorasse scribit Sigebertus Genablacensis.

2<sup>o</sup>. *De sancto Odgero diacono.*

*Ex historia Wironis, quæ existat ad 8. diem Maij,  
& ex diuersarum ecclesiarum usu.*

**I**N ecclesia Montis-Petri sancti OTGERI confessoris & diaconi. Wiro enim electus in episcopum, iuxta Scotorum consuetudinem Romam missus est, summi Pontificis manibus consecrandus. Comes illi itineris erat Plechelmus sacerdos. Cùm autem per Angliam iter facerent, diuinitus illis adiunctus est Otgerus leuita, qui præ feruenti cælestis patriæ desiderio, terrena contemnens,

B b

beato



beato viro adhæsit. Cùm autem Pontifex Vironem inuitum episcopum ordinasset, eundemque honorem Plechermo impertitus esset, in patriam redierunt: sed Wiros oblata oportunitate, rursus assumens Plechelmum coëpiscopum, & Odgerum diaconum, valde religiosum, per mare Gallicum in Franciam transijt, & à Pipino Duce Francorum, qui illorum sanctitate totam patriam illustratam agnouit, locum illis à strepitu semotum attribuit, qui vulgò Mons-Petri dictus est, vbi populo tum doctrina, tum vita præluxerunt.

Est autem Mons-Petri, alio nomine Mons-Odilia, postea Domini sancti sepulcri, sibi monasterium acceperunt. Natalis recolitur non tantum in dicto monte, vbi corpus miraculis claruit; & à clero Traiectensi, eo quòd in dicto monte aliquamdiu excursions Nordmannorum declinauerit: sed præterea à cathedralibus ecclesijs Ruremondensi & Gruningensi. Vtraque enim eum vt prædicatorem suum, & patronum veneratur.

### 3<sup>o</sup> De S. Eunnucio, episcopo Nouiomensi.

**E**odem die sancti EUNUCII episcopi Nouiomensis. His enim verbis ponitur in Calendario Breviarij Nouiomensis. Sed cum adiectione, *nihil fit*. Alibi additum legi, Cuius corpus transtulit Rodolphus episcopus ad sancti Lupi monasterium, quòd nunc sancti Eligij dicitur. Verùm nihil aliud de eo legi, præterquam quòd Demochares vigesimo septimo loco inter Nouiomentes episcopos, qui simul erant & Tornacenses, Guidonem ponat cum sancto Eunnucio. Vnde



Vnde cœpiscopus videtur fuisse, non autem primarius dicti loci præsul.

## Vndecima Septembris.

### 1<sup>o</sup> De sancta Vinciana Virgine.

*Ex officio Gandensi, & Nodgeri episcopi historia, quæ exstat ad diem decimam nonam Martij.*

**E**X Hasbania, in portu Ganda, sanctæ VINCIANÆ virginis, quæ cum fratre suo Landoaldo archipresbytero, alijsque nonnullis ex Italia in Galliam Belgicam profecta est, circa annum sexcentessimum trigessimum tertium. Iisdemque quibus potuit modis cooperata est in Christianæ religionis plantatione. Tandem peregrinationis suæ decurso tempore, plena bonis operibus in *Winters-houen* Hasbania, virgo migravit ad Dominum, anno sexcentesimo quadragesimo tertio. Estque ibi decenter à fratre sepulta. Sed à womaro abbate, cum beati Landoaldi fratris, & aliorum reliquijs, translata est Gandanum, ad ecclesiam sancti Bauonis, facientibus ei potestatem, Ioanne Romano Pontifice, Heraclio episcopo Leodiensi, & Othone eius nominis Imperatore secundo.

### 2<sup>o</sup> De sancto Bodone episcopo.

*Ex catalogo quodam episcoporum Tullensium.*

**I** Pso die, natalis sancti Bodonis episcopi Tullorum, & confessoris, qui Lugdunum translatus, mira fidelium deuotione veneratur. Editus est in pago Ardennensi, patre Bertaldo & matre Bertilde. Cumque moribus & conuersatione probatus



probatus esset, vigesimus secundus factus est Tullensis ecclesiæ episcopus, & inter cætera bonitatis studia, construxit sanctimonialium monasterium, quod vsque hodie dicitur sancti Bodonis, & aliud duodecim Canonicorum ad fluvium *Murt*, & tertium in honorem sancti Leodegarij in Ofonis villa. Consummato autem præsentis sæculi labore, sepultus est in cœmeterio beati Mansueti.

Et hæc breuiter sunt hoc in loco commemorata, propter natale eius solum, quanquam nesciam in qua parte Arduennæ sit natus.

### Duodecima Septembris.

#### De sancto Guidone, in Anderlaco.

*Ex historia, tomo quinto Surijecta.*

**A**nderlaci, depositio sancti GUIDONIS confessoris, qui post septennem & laboriosam peregrinationem, hunc locum suæ quietis elegit. Vbi sui sacri corporis reliquiæ sub frequentia miraculorum frequentantur.

Hic in pago Brabantensi, tugurio rusticano & paupere domo natus, oculis parentum furabatur in primæua ætate certas horas, quibus ecclesiam oraturus adiret. Nec hilarem eum vlla dies videbat, nisi prius aut orasset, aut elemosynam protulisset. Ecclesiæ B. Mariæ in *Laken*, multis annis seruiuit, velut alter Nepotianus, eam floribus & ramis exornans, omnia in nitore conseruans, atque in omnes cæremonias piè sollicitus. Postea per septem annos peregrinatus est Romanam, Ierosolymam, & ad alia sanctorum loca. Vnde Anderlacum reuersus, peste inguinaria, sæculi ærumnas consummauit, sepultus in cœmete-

rio.

*Hierony.  
Heterodoro  
epistolæ 23.*



rio, anno millesimo centesimo duodecimo. Sed Deo sanctum suum per crebra miracula mirificante, Gerardus episcopus, successor Lietberti, eum eleuauit in natiuitate Baptistæ: & ex confluentium oblationibus, noua basilica super eius tumulum est sumtuosè ædificata: in qua Canoniorum octodecim celebre collegium, à domino Gaesbecano dotatum & institutum, diuina officia reuerenter peragit. Locus dicitur Anderlacum & à recentioribus Anderlechtum, Bruxellensibus, apud quos indigenæ iure ciuium gaudent, vicinus. Pingitur vt opilio, bubulcus, & arator. Habet enim in manu pedum: ad pedes oues, boues, & instrumentum triangulum ligneis dentibus distinctum, quo semina aruo iniecta obruuntur, quod quidam dentale, alij pectinem: Belgæ, *een egghe* vocant. Lakenfis ecclesia ad aquæductum Bruxellensè, addit ei in maius clauis suæ ecclesiæ, eo quod in ea custos, velut alter Nepotianus, Deo seruiert.

### Decima tertia Septembris.

1<sup>o</sup>. De S. Amato episcopo apud Duacenos.

*Ex libris Duaci, & Marcenæ.*

**B** Royli, depositio S. AMATI episcopi & confes. Cuius virtutem Saluator omnium pius, magnificauit in temporali vita suorum gratia meritorum. Fuit episcopus<sup>a</sup> Senonensis, sed apud Theodoricum regem de infidelitate accusatus, per eius execrabiles iussus in exilium est ablegatus, causa non discussa. Quamobrem Peronæ exulauit vsque ad mortem Vltani abbatis:

*Sigbertus*

*anno 672.*

*In cataligo*

*Democharis*

*est 22.*

Bb 3

deinde



Septemb. 13.

N A T A L E S

deinde beato Mauronto commendatus, primum Hamatici vixit, vbi sepeliuit sanctas abbatissas Gertrudem & Eusebiam. Postmodum requisitus à Rictrude & filio eius iam dicto Mauronto, suscepit regimè monasterij, S. Petri quod Broyli in fundo suo apud Menapenses construxerant. Quo in loco monasticam congregationem gubernauit, & populo alimenta caelestis praedicationis ministravit, vsque ad annum sexcentimum nonagesimum, quo sanctissimam vitam finiuit. Eius corpus sed & ferri pondus, quod ad collum gestauerat, multis miraculis claruerunt. Quibus auditis Theodoricus rex ad sepulcrum veniam perpetrari in eum facinoris flagitauit, & multas possessiones ad alimoniam seruorum Dei eidem contulit. Maurontus vero ad honorem eiusdem praesulis, sui etiam patrimonij multa praedia, per chartarum instrumenta assignauit. Praeterea haud longè à beati Petri ecclesia aliam Deiparae construxit basilicam Ad quam diuinitus monitus, cum sancto Baido Morinorum episcopo; beati Amati reliquias translulit. Postea à clero Meruillano, propter Nodmannorum incursiones Duacum est translatus, in sui iuris ecclesiam. Anno denique octingentesimo septuagesimo quarto obtinuerunt fratres Meruillani siue Broylenses, à Ioanne episcopo Cameracensi, Carolo rege, & Arnulpho Comite, vt cum omnibus priuilegijs & possessionibus Duaci remanerent. Elevation per Baidum facta & translatio, recoluntur quarto Calendas Maij, & decimo quarto Calendas Nouembris.

Est verò Duacum vrbs dioecesis Atrebatensis, in Galliana Flandria, nuperrimè ex Louanio multum decorata generali

nerali



nerali vniuersitate omnium studiorum. A Guilielmo Neubrigensi rerum Anglicarum historico dicitur nobile castrum *Duay*.<sup>e</sup> Lib. 5 (2)

a. *Archiepiscopum fuisse liquet ex subscriptionibus Concilij Aurelianensis tertij, vbi Leo Senonensis subscribit. Tomo 2. Concil.*

b. *Cuius mentio supra, 20. Iunij. & 22. Iulij.*

c. *Imo Sueffiones, ac postea inde Duacum. Vide 16. Octob. 5°.*

d. *Hac concessio precessit translationem ex Sueffione; & facta est non per Arnulphum sed per Balduinum ferreum Comitem Fland.*

e. *In Chronico Cameracensi, Castrum Duwaicum.*

## 2° De sancto Flederico presbytero

*Ex informatione quam mecum in Vlinderzele accepit Martinus Baccius Pastor Alostanus, anno septuagesimo sexto.*

**I**N territorio Alostano, loco *Vlinderzele* festiuitas sancti **F L E D E R I C I** presbyteri & confessoris. Qui natione Francus, à parentibus Christianis natus, quod professus est in baptismo, ab ineunte ætate obseruauit Literarum & virtutum studio adolescentiam insumsit. In sacerdotum ordinem ascitus, pastorale munus subiit in *Vlinderzele*, sicut Aaron vocatus: vbi pietatem & famam doctrinam subditis instillauit. Fertur autem primitias sacerdotij celebrans, obrinuisse ranarum eum turbantium silentium. Festos dies incipiebat pridie ab hora duodecima. (Quod etiam à Scotis obseruari à sabbathi meridie, testis est Hector Deidonanus.) Inter alias virtutes multum studuit pacificandis discordibus. Cùm autem ad senectam bonam peruenisset, virtutibus Folio 287.



Septemb. 13.

NATALES

& miraculis clarus, spiritum suum, quem pro grege & pro ecclesia laboribus exhauserat, Deo latus reddidit. Cum autem peregrinantes varia eius sentirent beneficia, inter quos multi fuerunt surdastri, curia Bruxellensis commissarios misit, qui rem totam examinarent, quique sacras reliquias secum asportare meditabantur, sed claustrum feretri propter irruentem tremorem aperire non poterant, quod mox Pastor loci commodè aperuit. Vnde reliquias ulterius attingere formidarunt. Accidit autem quorundam adhuc viuentium memoria, cum ex antiquo feretro in nouum reliquiarum reponerentur, Pastorem lineam vetera secum tulisse, quæ ad sistendum sanguinem Ioanni de Clerck, in fomitem conuertere non potuit, sed ab igne illæsa, eius sanguinem vulnere admota sistebant. Hæc ferè sunt quæ ad eius memoriam apud Pastorem loci asseruantur. Vulgo fertur natus apud Parisios, sed ignoratur an fuerit vicarius Pastor monasterij Gandauensis, an verò Pastor, priusquam is locus diuo Bauoni esset collatus. Quod ante annos multos factum esse constat Otho enim secundus, villam *Vluerzele* nominat inter possessiones Gandensis cœnobij. Posterior sententia mihi est verisimilior, quod tam pauca de patrono suo sciant. Nam cœnobitæ Gandenses initio dicuntur per se diuina officia in *Vluerzele Houshem*, & *Baueghem*, iusto numero & velut Prioratum constituentes, perfecisse: serius autem vicarios accepisse. Quare notior foret beati Federici vita, si Bauonensium fuisset vicarius. Pingitur vti sacerdos, cum calice & hostia, in altari, feretro, vexillis, & peregrinantium imaginibus. Et solet in altari eius nondum consecrato

Apud Mele  
rum anno  
974.



crato celebrari de eo sacrum, ad requisitionem peregrinantium, super lapide portatili. Cæterum anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, sollicitatus fuit Martinus Cuperus Coëpiscopus Roberti Croy, Cameracensis episcopi, vt altare sancti Flederici consecraret, diem festum, & processionem ei constitueret. Qui omnibus expensis sua suffraganea sui que episcopi auctoritate, feretrum annuè circumferri ordinauit, die Dominico post natalem sanctorum Petri & Pauli: altare in sancti confessoris honorem consecrauit pridie exaltatæ sanctæ Crucis: eundem que diem annuè in memoriam patroni per parochiam festiuium instituit: dato desuper Flandrico diplomate. Quod tamen intra triennium in pestifera ædilis domo deperditum putatur, cum diligenter quæsitum, nusquam sit inuentum. Fit autem Missa de communi, & lectiones Matutinæ ex Maximo notantur, *Ad laudem sancti.*

### Decima quarta Septembris.

*1<sup>o</sup>. De S. Materno episc. & eius  
successoribus.*

*Ex diuersis, potissimum ex Tungrorum & Treuironum Breuarijs.*

**T**Reuiris sancti M A T E R N I episcopi, discipuli sancti Petri, qui simul Treuirensi Colonienfi, & Tungrensi ecclesijs præfuit archiepiscopus, & Colonix spiritum Deo reddidit, sed Treuiris in ecclesia sancti patris Eucharij, quæ nunc ad sanctum Matthiam appellatur, simul cum  
ijsdem



ijisdem requiescit. Arbitror autem eum non præfuisse tribus episcopatibus distinctis, sed fidelibus multiplicatis, postea exoriam esse dictis in locis, quibus sanctus Maternus antea fidem prædicarat, trium diœcesium distinctionem. Ideoque in eius rei significationem valde conuenienter pingi cum vnica quidem ecclesia, sed ex qua promineant tres turres. Natalem habet die decimaquarta Septembris: sed quædam ecclesiæ transferunt eum propter festum exaltatæ Crucis.

*Vocatur Arelatense 2. in tomo 1. Conciliorū.*

Optatus porro Mileuitanus episcopus, sub finem libri primi contra Donatistas, dicit ad urbem Romam ventum esse à tribus Gallicanis episcopis, vt iudices essent in causa Donati & Cæciliani; inter quos primo loco recenset sanctum Maternum ex Agrippina ciuitate. Nominat eundem Constantinus Augustus libro decimo historię ecclesiasticę Eusebij. Verum ex temporum distantia colligitur, hunc diuersum esse ab illo, quem tres diœceses constanter celebrant vt sibi à beato Petro Apostolo missum. Vnde legitur inter Patres Arelatensis Concilij, quod circa tempora Syluestri est habitum: Ex eadem Galliarum prouincia, ciuitate Agrippina, Maternus secundus episcopus. Et ad hunc pertinet quod alibi legitur, Severinum non Euphratæ pseudoepiscopi, sed Materni fortissimi Christianæ fidei propugnatoris, & vigilantissimi propagatoris, nec fidei, nec doctrinæ perfectione dissimilem successorem extitisse.

Cæterum post sanctum Maternum complures episcopi Treuirenses Tungrorum curam habuisse memorantur, qui inter Belgarum populos primi vsque ad Treuironum fines habitauit. Recensentur autem hoc ordine, sanctus Maternus iam dictus, Nauitus, & ex ordine septem sequentes, Marcellus, Metropolis, Severinus, Florentius, Martinus, Maximinus, & Valentinus. Quæ de causa etiam primi recensentur in catalogo episcoporum Tungrensium. Ex his sanctus Maternus passim celebratur. Martinus autem à Tungris



gris Apostolus Hasbania honoratur, quod suo loco commemorauimus. Reliquorum verò natales celebrat Treuirensis ecclesia.

Sancti Nauiti, septimo Iulij.

Sancti Marcelli, quarto Septembris.

Sancti Metropoli, octauo Octobris.

Sancti Seuerini, vigesimo quarto Octobris.

Sancti Florentij, decimo septimo Octobris.

Sancti Maximini, vigesimo Iunij.

Sancti Valentini, decimo sexto Iulij.

Officium autem habent commune de Pontifice martyre. Quanquam ignorem an tantum extensiuè dicantur martyres, quia sub tyrannorum & paganorum persecutionibus multa pro fide Christi passi sunt, quo sensu Romanos nonnullos pontifices quidam martyres appellarunt. Sanè Treuiri de viginti tribus episcopis, ante Agritium fatentur se ignorare tempora consulum, annos administrationis, exitus, & tumulos. Hæc enim interciderunt in persecutionibus, & postea in Hunnorum ac Nordmannorum excidijs, quæ multa fuerunt. Saluianus enim episcopus deplorat, & æquissimæ dispensationi Dei ascribit, quod opulentissima vrbs ter continuatis euersionibus per Hunnos excisa, cum excidijs non corrigeretur, quarto perire meruerit. Vt mirum non sit in tot excidijs multa periisse: ob quæ etiam ignoramus, qualis fuerit status catholicæ religionis, sub dictis episcopis apud Tungros, qui simul cum Treuiris excisi sunt. Verisimile est interim sobrium fuisse, vsque ad tempora sancti Seruatij, qui primus Tungris proprius episcopus præfuit. Nam & Treuitorum gesta clarè habent eos non manifestè, feruente persecutione, præsulatum exercuisse, sed sicut Apostolus ait, in solitudinibus & montibus, speluncis, & cauernis.

*In Annalibus manuscriptoris, & Ioanne Enè in gestis Treuitorum.*

*Libro 6. de vero iudicio.*

*Hebr. 11.*

Decima



## Decima quinta Septembris.

## De sancto Aichadro, in Haspris.

Ex Fulberto, Chronico Cameracensi lib. 2. cap. 29. & Gaguino.

**I**N Nordmannia, depositio sancti AICHADRI abbatis. Qui fuit post sanctum Philibertum (cum is ab Ebroino extrusus esset) abbas Gemeticensis, prope Rothomagum: ubi nongentis eum monachis præfuisse, scribit Fulbertus in vitæ historia. Inde autem ob Nordmannorum persecutionem, cum sancto Hugone, translatus est ad villam Haspram Cameraco subiectam. De qua villa incertum est, num Gemeticum eam antea possederit, vel postea ob Sanctorum præsentiam obtinuerit. Sed remanentibus corporibus, constat ex legatis constructum esse monasterium, siue Præposituram. Quæ cum multum deficeret in disciplina monastica, propter longinquam abbatis absentiam, effecit Gerardus episcopus ut facta commutatione, subiecta sit sancti Vedasti monasterio. Unde Leduinus abbas in honorem Sanctorum ibi miracula multa operantium, locum nouis ædificijs & claustro regulari insigniuit. Natalem habet die decima quinta Septembris; diem translationis, decimam septimam Iunij. Huc etiam pertinet quod à Roberto Gaguino scriptum est Balduinum & Gunduinum, ex Aspera Cameracensis agri vico, Gemeticum à Danis solo æquatum, restaurasse.

To, s. Sarj.

Lib. 5. hist. Francorum.

Decima



## Decima septima Septembris.

De sancto Lamberto episcopo, martyre,  
& patrono Leodiensium.

*Ex veterum Martyrologijs, Stephano vita scriptore,  
chronicis Leodiensium, & cæteris.*

**T**Vngrensi diœcesi, Leodio, villa publica, natale sancti L A M B E R T I episcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis increpasset, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquissimis viris de palatio regis missis ex improviso conclusus, intra domum ecclesiæ occiditur. Cuius sepulcrum creberrimis illustratur miraculis. Usus est præceptore *Winters-houen* sancto archipresbytero Landoaldo: magistroque suo sancto martyri Theodardo, in episcopatum successit. Clodoveus rex eius prudentia & auctoritate familiariter utebatur patrem eum appellans & Apostolicum virum, in eo priuilegio quod promulgauit pro immunitate ecclesiæ beatæ Mariæ Traiecti. Debuitque sanctus in patria vrbis, post martyrium beati Theodardi pontificium suscipere. Urgebant enim eum Clodoveus rex cum suis proceribus, electio omnis cleri, & acclamatio ytriusque sexus. Nec minus ob sanctitatem & prudens consilium placuit Childerico regi, qui non dubitauit pectus eius domicilium esse Spiritus sancti, & linguam veritatis organum. Sed hoc rege occiso turbata est ecclesiæ pax. Siquidem Ebroinus tyrannus, qui Maior domus sub Theodorico rege sæpius Franciam turbauerat, sanctum Lambertum iustitiæ & publicæ libertatis defensorem, episcopatu expulit, &



Septemb. 17.

NATALES

lit, & Faramundum quendam intrusit: per quem  
Tungrensis ecclesia experiendo didicit, furem  
Ioan. 10. non venire nisi ut furetur, mactet & perdat. San-  
ctus Lambertus autem videns se obstinatae tyran-  
nidi & oppressioni ecclesiae non posse resistere, in-  
fructuosum laborem prudenter declinavit, & per  
septem annos Angelicam vitam duxit in Stabu-  
leto monasterio, usque ad miseram Ebroini in-  
\* Confer 7. terfectionem. Nominatur Apostolus\* Taxandriae  
Maij. eo quod multa praedicatione & patientia ad fi-  
dem conuerterit eius regionis populum idolola-  
triae cultu sordescens, qui nullis ciuitatibus,  
sed pluribus & sparsis vicis continebatur, usque  
ad Tungros. Et propter hanc conuersionem Ta-  
xandri Leodiensi ecclesiae subditi fuerunt, sicut  
cernere licuit, usque ad nuperam episcopatum  
multiplicationem, Pipinum principem, primi  
Pipini nepotem, de publico cum Alpaide adul-  
terio, quibus potuit modis reuocare laborauit.  
Qui visus est quidem reiecta pellice, velle redin-  
tegrato coniugio obtinere remedium peniten-  
tiae, sed per eandem penitus subuersus est. Cui  
etiam postulanti, ea de causa assistit frater eius,  
impius Dodo, qui in villa Legia orantem Lam-  
bertum, & per modum crucis expansum, ante  
altare sanctorum martyrum Cosmae & Damia-  
ni, per satellites suos lancea perforauit, & cum  
eo simul interemit Petrum & Andoletium, san-  
cti martyris consanguineos. Sic beatissimus mar-  
tyr omni virtutum gratia adornatus, cum B. Ioan-  
ne Baptista, ob impugnatum adulterium, meruit  
palmam martyrii, anno Domini sexcentesimo  
nonagesimo octauo, episcopatus quadragesimo.  
Sacrilegus vero Dodo aeternae damnationis in-  
currit



currit interitum, tum etiam posteritati suæ tanti facinoris iugem pœnam, & indeficiens opprobrium vsque hodie reliquit. Vnde Wandelbertus scribit, Factio quem cœsum semper tremebunda pauescit. Sepultus est beatissimus martyr apud Traiectenses in ecclesia sancti Petri, vnde post duodecim anno translatus est cum sede cathedrali à beato Huberto ad villam Legiam, tunc quidem ignobilem Lotharingiæ vicum, sed martyrio & miraculis sancti Lamberti nobilitatum. Eius etenim patrocinantibus meritis, postmodum commutatur in celeberrimam urbem, quæ modò Leodium dicitur, à mediæ ætatis scriptoribus etiam Leudica & Leodicum. Vnde Carolus magnus legitur celebrasse Pascha apud sanctum Lambertum, in vico Leodico. Estque caput ditionis Leodiensis, principem habens suum episcopum: cuius iurisdictioni ciuili subesse scribit Guicciardinus, oppida muris cincta viginti quatuor, præter medietatem Traiecti. Fecit autem primam donationem Carolus Martellus Is siquidem:

*Huberto Imperium terra, & ius contulit omne,  
Illectus pietate viri, ingentoq; sagaci.*

Quanquam præcipuè hoc cum dedisse suspicet ecclesiæ beati Lamberti in expiationem scdissimi delicti parentum. Neque mirari oportet causam necis omissam esse ab ijs qui primi martyrium scripserunt. Eam enim omiserunt, vel studiosè, vel vrgentibus principibus, qui familiæ suæ maculas regi voluerunt. Celebratur autem translatio quarto Calendas Maij: triumphus in *scps*, 2 tertio Idus Octobris: sed natalis dies decimo septimo Septembris celeberrimus est, per totam diœcesim & alibi, etiam semotissimis in locis.

*Lib. 4. de  
gest. Franc.  
cap. 86.*



Septemb. 17.

NATALES

locis. Est enim celeberrima martyris memoria apud Friburgenses in Brisgoia, qui se sancti martyris caput habere gloriantur ex donatione Rudolphi episcopi, qui frater erat Bertholdi quarti Zeringiæ Ducis. Duces quoque Carinthiæ in finibus Carnorum ac Styriorum opulentissimum divi Lamberti monasterium fundarunt. Est autem diœcesis hæc multis modis commendanda. Si antiquitatem spectes, reliquas in Belgio longè antecedit: si sanctitatem, omnes episcopi sancti recensentur qui beatum Lambertum antecesserunt: duo quoque successores, Hubertus & Floribertus, qui Leodij resederunt. Quanquam & alij quidam sanctitate & miraculis claruerint. Albertus filius Ducis Brabantiæ etiam sanguinem fudit pro ecclesiastica libertate. Frederici martyrium & miracula clerus Leodiensis descripsit. Si eruditionem quæras & nobilitatem: Stephanus, Ratherius, & Nodgerius dum episcopi erant, Sanctorum historias scripserunt. Multi multa clericorum collegia erexerunt, & in monasterijs quoque scholas esse voluerunt. Recensentur autem nominatim in clero Leodiensi, qui Innocentium secundum exceperint. filij regum, novem: Ducum, viginti quatuor: Comitum, viginti novem: Baronum siue nobilium septem. Et ex his multi erant Doctores Legum, Decretorum, aut Sacrarum literarum.

Circa eadem ferè tempora dedit Leodium catholica ecclesiæ tres Romanos Pontifices, Fredericum, Iacobum & Theobaldum archidiaconos, qui inter Pontifices nominantur, Stephanus I x. Urbanus III, & Gregorius x. omnes inter beatos numerati, & suis locis in præsentis opere descripti.

a De



*De hac victoria & triumpho Ioannes Placentius in Hugone episcopo.*

Die vigesima prima Septembris.

De sancto Gerulpho, martyre Flandro.

*Ex Martyrologio propria ecclesia; historia ibidem manuscripta, & Meieri commentarijs Flandria.*

**V**Ndecimo Calendas Octobris, natalis beati Matthæi Apostoli & Euangelistæ. Ipso die, passio beati GERVLPHI martyris. Item octavo Idus Octobris, aduentus sancti Gerulphi martyris, ex Merendra Truncinium. Et septimo Calendas Iulij, In Trunchinio, translatio corporis sancti Gerulphi martyris. Hic Merendræ, in Flandria, claris & Christianis parentibus ortus, ab infantia pietatis amantissimus fuit. Monasteria & Deo dicatas ecclesias religiosè frequentauit; clericos & sacerdotes magno studio coluit; & in summa, hoc maximè illi curæ fuit, vt vitam suam quàm optimè ad normam diuinæ legis institueret. Quum verò nondum esset sacramento Confirmationis insignitus, nec se proinde absolutum, & aduersus omnia aternæ salutis impedimenta satis ornatum, Christi militem esse piè prudenterque existimaret, viro quodam comitatus, qui susceptoris circa se officio fungeretur, ex solo natali Gandauum ad Blandiniense monasterium se contulit, vt sacro chrismate ab episcopo Nouiomagenfi Heliseo, qui tum eo forte aduenerat, liniretur. Cumque percepto sacramento, repletus iam pinguedine gratiæ spiritualis, domum rediret, haud procul a monasterio quod Truncinium

C c

dicitur



dicitur ( ad quod orationis causa nonnihil desse-  
 xerant ) à suo patrino, qui tantam eius pietatem,  
 incredibili exagitatus inuidia, ferre non poterat,  
 repente confossus, ex equo prosternebatur, &  
 pro mortuo ab immani parricida relinquebatur.  
 Accidit autem vt priusquam animam exhalaret, à  
 parentibus, hæc omnia confestim à Deo miraeu-  
 losè edoctis, diligenter quæsitus, spirans adhuc in-  
 ueniretur Quibus cum breuiter à quo tantam ac-  
 cepisset iniuriam exposuisset, ad extremum ab ijs  
 petiuit, vt se in vicino Trunciniensi cœnobio se-  
 pelirent, & Merendam sui iuris allodium in al-  
 tari beatæ Mariæ traderent, & caballum suum  
 clericis ibidem Deo seruiantibus donarent. Atque  
 ita demum salutari viatico Dominici corporis in  
 tempore munitus, ad cælum migravit, vndecimo  
 Calendas Octobris. At pater eius votis ac pietati  
 filij sui haudquaquam respondens, nec prædia  
 illa ecclesiæ Trunciniensi dedit, quæ sanctus Ge-  
 rulphus petiuerat, nec corpus eius illo in loco, sed  
 Merendræ in Basilica sanctæ Radegundis, sepeli-  
 ri curauit. Quo in loco multis clarus miraculis,  
 mansit ad annum vsque nongentesimum deci-  
 mum quintum. Tum enim caelesti commonitione  
 ad ecclesiam Truncinensem solenni pompa at-  
 que honore translatus est die octauo Octobris;  
 ab Airardo episcopo. Anno autem millesimo tri-  
 gesimo, quum ex omni Flandria Sanctorum reli-  
 quia Aldenardam deferrentur, vt simul omnes  
 solenni in processione publicæ pacis gratia cir-  
 cumferrentur, tantus honor diuo Gerulpho com-  
 muni sententia delatus est, eo quod genere & na-  
 tione Flander esset, vt inter omnia illa sacra cor-  
 pora, primum atque honoratissimum locum in  
 circum

*Meierus*  
*anno 1030.*



circumgestatione, sortiretur. Historiam ante annum millesimum circa tempus translationis descriptam esse, videtur ex stylo colligi posse. Scribitur enim eum haberi in Francia, iuxta Oceani litora, & parentes habitasse in pago Mempisco, in Merendra, iuris sui villa ( quæ milliaribus duobus à Gandauo distat ) ipsum autem elegisse sepulturam in monasterio iuxta lympham Legiam, quod dicitur Truncinias. Quo in loco per monasterium, intellige congregationem clericorum siue canonicorum in communi viuentium per diuum Amandum institutam, in ecclesia à sancto Basino exstructa, quæ anno demum duodecimi sæculi trigesimo octauo, conuersa est in conuentum Canonicorum Ordinis Præmonstratensis.

## Vigesima secunda Septembris.

### *De translatione sancti Exuperij Thebai.*

*Ex Sigeberto & Martyrologio Gemblacensium.*

**I**N Gallijs, ciuitate Seduno, loco Agauno, natalis sanctorum martyrum Thebæorum; Mauritij, Exuperij, Candidi, Victoris & sociorum. Ex his EXUPERIVS vexillifer fuit legionis Thebæorum. Cuius corpus tempore Ottonis primi translatum est Gemblacum, procurante id sancto Guiberto, fundatore, Gemblacensis cœnobij, quod construxit in honorem sancti Petri Apostoli & beati Exuperij martyris. Vnde inter martyrum memorias annuè legunt octauo Idus Iulij: In Gemblaco, aduentus corporis sancti Exuperij signiferi Thebææ legionis, & martyris gloriosi.



Septemb. 27.

INATALES

Vigesima septima Septembris.

De sancta Hiltrude, virgine Latijs.

Ex Lektionibus Latiensis ecclesie.

Latijs natalis sanctæ HILTRVDIS virgini-  
nis, quæ amore Christi sponsum in terris  
fugiens, ei quem elegerat viriliter adhæsit, bo-  
numque propositum laudabili fine conclusit. Hęc  
virgo, ex Wigberto Comite & Ada matre, tem-  
pore Pipini regis claruit, super fluuium Helpram,  
in loco qui dicitur Lætia. Quæ amore Christi  
Hugonem Burgundionum principem, sponsum  
in terris fugiens, à Theodorico Cameracensi e-  
piscopo sacrosanctum velamen accepit, & bonum  
propositum laudabili fine conclusit, adornata  
lampade plena oleo, hoc est, virtutum fertilitate.  
Sepulta est autem à dextris altaris sancti Lamber-  
ti in oratorio quod parentes Latijs exstruxerant,  
& ob allatas sancti Lamberti reliquias ad eius ho-  
norem est dedicatum. Ibidem in medio oratorij,  
postquam beata anima ad cælum migrarat, hu-  
matus fuit frater eius Gontardus, qui solum  
Deum toto corde amplexus, commissi gregis for-  
ma fuerat. Perseueravit autem ibi religio mona-  
chorum vsque ad successores Ludouici pij, sub  
quibus gens Nordmannorum ( quos historie  
scriptor minus propriè Hungros vocat ) Gallias  
irrupit. Quorum effrenata malitia, etsi redunda-  
tura erat in caput illorum, ad breue tamen tem-  
pus vrbes, castella, & vicos, igne & cæde vasta-  
bat. In qua vastatione impij homines ecclesie su-  
pellectilem abstulerunt, fratrum claustrales &  
seruiles



seruiles officinas concremarunt, multos vtriusque sexus captiuos abduxerunt: ecclesiam tamen casto labore accenderunt. Ea etiam tempestate, dispersis cœnobitis, ecclesiastica prædia facta sunt secularia. Cæterum quando Deus noluit diutius lucernam sub pedibus latere, crebrescentibus miraculis Erluinus Cameracensis episcopus, cum multo honore, psallentio clericorum, hymnodia, & thymiaterijs sanctæ virginis ossa leuauit. Cuius annua commemoratio concurrit cum natali S. Lamberti. Postea sub Henrico Augusto cum vetus ecclesia ruinam minaretur, Adelardus & Ermetrudis, ex diuina admonitione nouam construxerunt, quam Gerardus episcopus quinto Nonas Maij dedicauit, translatis ad eandem sanctæ virginis pignoribus.

### *Appendix de reliquijs ecclesiæ Latiensis.*

*Ex diplomatibus dictæ ecclesiæ.*

**C**æterum eadem ecclesia congratulatur sibi etiam annuè, ipsis Kalendis Decembris, de aduentu reliquiarum sanctarum ab vrbe Constantinopolitana. Vnde duo conseruat diplomata, quorum vnum est Theodori patriarchæ: alterum Henrici Imperatoris.

Diploma Theodori tale est.

**T**heodorus Dei misericordia sanctæ ciuitatis Ierusalem archiepiscopus, ecclesiæ Antiochena & totius Orientis patriarcha, vniuersis Christi fidelibus in quorum manus hoc scriptum perueniet, salutem in Domino. Vobis notum facimus, quod nos, alijq̃, quamplurimi, dilecto nobis in Christo Thoma Latiensis ecclesiæ monacho,

Cc 3

(qui



Septemb. 27.

NATALES

(qui Constantinopolim, ubi nunc degimus, aduenit) diuersas Sanctorum Sanctarumq; Dei reliquias, pietatis intuitu, rogatuq; domini Henrici, Imperatoris illustrissimi cōtulimus. Qui etiam Imperator, eidem Thomae pulcherrimum sanctuariū de preciosissimo sanguine Iesu Christi in uasculo cristallino, & eximias portiones sacrosanctae Crucis eiusdem Saluatoris nostri, cum maximis & pene infinitis alijs reliquijs dedit. Ut autem tantus reliquiarum thesaurus dignè in ecclesia Latiensi semper honoretur, singulis qui ad eam ecclesiam praedictas reliquias uisitaturi pro desiderio aduenerint, ibiq; de peccatis suis uerè doluerint, nos ex parte beatorum Petri & Pauli, & auctoritate qua fungimur, à summo Pontifice nobis concessa, de penitentijs pro criminalibus ipsis iniunctis, sexaginta dies relaxamus. In cuius testimonium sigillum nostrum plumbeum huic scripto appendendum esse duximus. Datum Constantinopoli, anno Domini millesimo ducentesimo octauo, Archiepiscopatus nostri anno tertio. Haecenus Theodorus. Cui addamus simile diploma Henrici Imperatoris.

**H**enricus Dei gratia Imperator & moderator Romanorum, vniuersis qui hoc scriptura monumentum inspecturi sunt salutem. Cum vita hominum sit breuis, memoriaq; labilis & infirma, rationi consentaneam uidetur, ut ea quae ob pietatem rectè sunt, scripta mandentur, quatenus posteritas semper habeat, unde factiorum cognitionem accipere possit. His rationibus adducti vobis significare volumus, quod nos considerantes deuotionem uenerabilis uiri Thomae, ecclesiae Latiensis monachi, qui frater germanus est Gerardi Walcuriensis, primi inter praetores nostros, spectantes etiam nihilominus antiquam dignitatem praedictae ecclesiae Latiensis, à patribus, praedecessoribusq; nostris iam olim fundatae; eorundem Thomae

& Ge-



Gerardi nobis charissimorum precibus permoti, ipsi Thoma pulcherrimas ac propemodum infinitas reliquias, Saluatoris, Mariae, Apostolorum, Euangelistarum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, ac foeminarum sanctarum, pia beneficia, contulimus. Qui sanctarum reliquiarum thesaurus, ut in ecclesia Latiensi digna veneratione perpetuo honoretur & ut haec absque hesitatione aliqua ab omnibus suscipiantur, rei veritatem confirmare voluimus, sigillo nostro aureo ad praesens scriptum appenso, Datum Constantinopoli in palatio nostro, anno Domini millesimo ducentesimo octavo. Imperij nostri anno secundo.

Est autem Lætia abbatia Ordinis sancti Benedicti, in Hannoniæ finibus, sub archiepiscopo Cameracensi: cui annis proximè superioribus venerabilis Ludouicus Blotius praefuit multa pietate & eruditione celebris. In B. Bernardi epistola trecentesima vigesima sexta, & alibi, Læcia legitur, quod eliso S. est Læcia.

### Trigesima die Septembris.

1<sup>o</sup>. De sancto Leopardo, martyre, Aquisgranum translato.

Ex lectionibus ecclesiae Aquensis.

**A**quisgrani, festiuitas sancti Leopardi martyris. Hic vnicus patris sui filius, magnæ inter Romanos nobilitatis, à Iuliano desertore in palatium est vocatus. Cuius cum esset cubicularius multum dilectus, potuit etiam studijs sese impendere. Vnde iuxta pontem \* Moluium scholasticus fuit Valentini. Qui cum summi sacerdotij honore fungeretur, plus laborauit discipulum imbueri diuina sapientia, quàm humana, admonens eum vt baptismatis vnda & sacra vntione recrearetur. Baptizatus est autem à magistro in palatino fon-

\* Miluiū.



Septemb. 30.

NATALES

no fonte, intra thermas Diocletiani: nec multo post, cum ipsi Iuliano, diuinos honores poscenti, thymiana offerre recusaret, carnificibus est traditus, vt eum verberibus à credulitate reuocarent, sed cum verbera constanti animo perferret, Iuliani decreto extra ciuitatis muros est decollatus. Valentinus autem athletam Christi, pridie Calendas Octobris casum, vltra triginta millia Vtricolam deportauit. Non enim eum Romæ sepelire audebat. Postea verò translatus est Aquigranum, vbi vsque hodie pia eius intercessio queritur, & de miraculis tam gloriosi martyris, per fidelium voces laus Christo recitatur.

24. Februa.  
apud Sardin.

Ceterum Valentinum iam dictum arbitror esse Intamnensem episcopum: cuius tempus in gestis suis non exprimitur, sed ex eis constat Romæ eum habuisse multitudinem scholasticorum.

## 2<sup>o</sup>. De beato Urbano quarto.

*Ex vita Iuliana, Pontificali, & Chronico Bertinensi.*

**P**erusij, obitus beati Urbani quarti. Qui per varios honores ad apicem ecclesiasticæ dignitatis ascendit. Primum enim Iacobus de Trevis<sup>2</sup> dictus Leodij resedit archidiaconus, postea Viriduni episcopus, tertio Ierosolymis patriarcha. Pontifex autem renunciatus, exercitum Saracenorum, quem Manfredus in patrimonium ecclesiæ miserat, per cruce signatos fugauit. Præterea apud Vibeuetanos synodum prælatorum celebrauit, in qua decretum est, vt Carolus Ludouici Francorum regis frater, Prouinciæ Comes, & Andegauensis Dux, in Italiam contra Manfredum Sedis Apostolicæ hostem, cum Siciliæ regis titulo, euocaretur. Vbi præclarum se in bello Robertus Bethunius, Comitissæ Flandriæ filius exhibuit. Nam duo eius scutiferi, patris Bolonienses, Manfredum ex exercitu fugientem sunt insecuti, & ex equo deiectum interfecerunt. Et enim postea Gibellini, Conradinus & Saraceni, insurgerent, fortiter sese opposuerunt Marecallis Gibelli-



Gibellinis: Carolus Conradino: Robertus Saracenis. Contra quos primus victoriam exportavit. Quibus prostratis, facilius successit, de alijs victoria. Unde Carolus Romam triumphans intrauit, & a Clemente successore beati Urbani rex est coronatus. Caterum sanctus Urbanus festum sacratissimi CORPORIS CHRISTI, quod Leodij celebrat, ultimo anno sui pontificatus, per totam ecclesiam celebrari constituit. Quod, dum de beata Juliana ageremus, latius explicuimus ad quintum diem Aprilis. Beatus autem Thomas hoc pontifice petente officium diei conscripsit: & Cathedram in Euangelia. Plura de eo a Trecentibus petantur. Ab his enim, ut scribit Chronographus Bertinensis, sanctus Urbanus nominatur, & in eius honorem ecclesiam ædificarunt, in medio ciuitatis, in loco, ut asserunt, domicilij, siue natiuitatis eius.

2. Videatur promptuarium antiquitatum Trecentis.

## Primo die OCTOBRIS.

1<sup>o</sup>. De sancto Bauone, Principe & Confessore, patrono Gandensi.

Ex officio potissimum Gandensis ecclesia.

Calendis Octobris, in portu Ganda, sancti BAVONIS confessoris, cuius gesta habentur. Et Calendis Augusti, eleuatio sancti Bauonis, pij confessoris. Itaque Alloynus cognomento Bauo, sanctissimus & celeberrimus confessor, patrem habuit Agilulphum, Hasbania Comitem, fratrem patrualem Carolomani, cuius filius fuit Pipinus à Landa, quem primum vocant Brabantia Ducem. Primum militauit sub Imperatore Mauricio, & sub regibus Francia, ac Austrasia. Deinde contemptis opibus & honoribus, atque à beato Amando Tungrorum episcopo Christi gloriam plenius edoctus, soli Christo crucifixo militare statuit. Et licet Mauricius lege